

tum temporis, sicut supra dictum est : Hodie si vocem ejus audieritis, nocte obdurate corda vestra. 8. Nam si eis Jesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur, posthac, die. 9. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei. 10. Qui enim ingressus est in requiem ejus, etiam ipse requievit ab operibus suis, sicut a suis Deus. 11. Festinemus ergo ingred. in illam requiem, ut ne in idipsum quis incidat incredulitatis exemplum. 12. Vivus est enim sermo Dei, et efficax, et penetrabilior omni gladio accipiti : et pertinens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum, et discretor cogitationum et intentionum cordis. 13. Et non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus : omnia autem nuda et aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo. 14. Habentes ergo pontificem magnum, qui penetravit caelos, Jesum Filium Dei, teneamus confessionem. 15. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris; tentatum autem per omnia pro similitudine absque peccato. 16. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno.

1. 1. TIMEAMUS ERGO NE FORTE, RELICTA POLLICITATIONE INTROUENDI IN REQUIEM EJUS, EXISTIMETUR ALIQUIS EX VOBIS DESSE. — Est metalepsis in verbo *timeamus*, q. d. Timeamus, et timendo caveamus ignaviam et inconstantiam, ne vel metu malorum, vel amore honorum temporalium desciscendo ad judaismum, relinquamus fidem et spem quietis et gloriæ æternæ, a Christo fidelibus suis promissæ; ita ut « existimetur aliquis ex vobis desse », id est, ita ut videatur aliquis jam ab itinere et introitu in requiem illam, puta in cœlum, jam defecisse, alioque mentem et iter relexisse, ideoque requie illa esse privatus et exclusus. Sicut in hujus rei typum multi Judæi requie Chanaan et terra promissæ, lacte et melle manante, dum murmurant et redire volunt in Egyptum, exclusi sunt, mortui sunt in deserto (1).

Nota : Græcum *ὑπερβία*, quod noster Interpres vertit *desse*, tam deficere et desecere, ut vertit Syrus, quam privari significat.

Nota *secundo* : Molliendo dicit « existimetur » pro *inveniat*, aut *sit* (2). Ita Theophylactus. Græce *δοξῆ*, id est, *ne videatur*, hoc est, ne videri possit : sumitur enim potentialiter. Maldonatus in *Notis manuscript.* vertit, *ne contingat aliquem deficere*.

Nota *tertio* : Assurgit Apostolus a typo ad antitypum, id est, a Judæis requie Chanaan, de quibus egit cap. præced., ad Christianos requie cœli ob apostasiam exclusis, vel potius excludendis.

2. ET ENIM ET NOBIS NUNTIATUM EST, QUEMADMODUM ET ILLIS. — Græce *καὶ ὑμῶν ἐντύχησάμενος*, id est, etenim sumus evangelizati, id est, Evangelium, sive letum nuntium accepimus æque

(1) « Relicta, » id est *neglecta*. Alii : Cum promissio est spes introuendi in requiem ejus *ad hac reliqua, seu residua sit*.

(2) Verba *δοξῆ* et *επιβόη*, ut latinum *videri*, sæpe redundant. Sic Cicero in fine peridorum ponit *esse videtur, pro sit*.

ut illi, scilicet Hebræi. Hebræi enim acceperunt Evangelium de possidenda terra Chanaan; nos vero Christiani accepimus Evangelium de possidendo regno cœlorum. Quod ergo David *Psal.* xiv, vocat Dei vocem, dicens : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra » (hoc enim citavit Apostolus cap. præced., vers. 7, atque hic perurget), Paulus hic explicat et vocat Evangelium; ex quo rursus liquet Evangelium non tantum promissa læta, uti ejus etymon sonat, sed et minas penæque completi. Talis enim est illa que sequitur, vers. 3 : « Sicut juravi, si incredulis et obediens, » in ira mea : Si introibunt in requiem meam. » Qua de causa Noster non vertit, *evangelizatum est*, sed « nuntiatum est, » quod tam tristia quam læta, tam supplicia quam præmia comprehendit.

SED NON PROFUIT ILLIS SERMO AUDITUS, NON ADMIXTUS FIDRI (id est, non receptus fide, nec creditus a Judæis) EX IIS (id est, secundum ea) QUE AUDIERUNT, — q. d. Non profuit Hebræis hocce suum Evangelium, hocce suum letum nuntium, quia quæ a Deo per Mosen audierunt, scilicet quod Dei ope Chanaanæ essent superaturi, et in eorum terram tam fertilem quiete ingressuri, non crederent, unde desperantes reverti voluerunt in Egyptum.

Urget Apostolus non mores impios, sed infidelitalem Judæorum; quia hoc tantum proposito ejus serviebat, ut nimirum ex ea, ejusque punitione, Hebræos Christianos ab apostasia deterreat, et in fide Christi confirmet, ne ob persecutiones ab ea deficiant.

Nota : Pro *admixtus* græce est *συνεπιχρησάμενος*, quod significat vinum, aliumve potum, aqua, aliove liquore mixtum, dilutum et temperatum, q. d. Sermo hic, sive Evangelium, et promissio Dei, de re tam ardua et difficili, scilicet Chanaanæ fortissimis subjungendis, fuit Hebræis instar vini meri et potentis, quia superavit eorum opinionem et æstimationem, visusque fuit eis incredibi-

Obje-
ctum
est
instar
vini
meri
et
potentis

lia, quia illud quasi merum hauerunt, id est, quasi rem nimis arduam, nimis potentem, impossibilem acceperunt, nec aqua fidei miscuerunt et temperarunt, ut legit S. Augustinus in *Psal.* lxxvii. Si enim credidissent Deum esse fidelissimum æque ac potentissimum, credidissent sane Deum promissis staturum, seque inducturum in Chanaan, itaque Deum duces secuti, illicque credentes et fidentes penetrasset in Chanaan : jam quia res tantas, metuentes eas viribus suis, non crederent, hinc diffidentes et reverti volentes, promissione hac exiderunt, nec Chanaan ingressi sunt, itaque omne hoc Evangelium eis non profuit.

Nota *secundo* : Pro *συνεπιχρησάμενος* Græca jam legunt in accusativo, *πρὸς συνεπιχρησάμενος τῆ πίστεως τῶν ἀποστόλων*, id est sermo auditus non profuit, non admixtus vel commixtus fidei iis qui audierunt; verbum enim *συνεπιχρησάμενος* poscit apud Græcos accusativum, uti profuit apud nos poscit dativum, d. q. Sermo hic quo Deus promisit Hebræis terram Chanaan, non profuit Hebræis qui per fidem non sunt commixti cum Josue et Caleb, qui duo soli audierunt, id est crederunt. Ita Chrysostomus et Theophylactus. Unde aliqui cum Cajetano hic legunt, *non profuit sermo non admixtus fidei iis qui audierunt*, id est, non profuit sermo audientibus, quia non erant admixti fidei, id est quia non crederent. Verum, ut recte advertit Ribera, vera lectio hujus loci esse videtur hæc : « Sed non profuit illis sermo auditus, non admixtus fidei, iis (id est, in iis) qui audierunt. » Sic enim habent Græca, Greci et Syrus, q. d. Non profuit hic sermo, hoc Evangelium, sive letum nuntium de requie et possessione Chanaan Hebræis, qui illud a Deo per Mosen audierunt : quia licet initio, cum hac spe egressi sunt ex Egypto, Deo id promittenti crederent, postea tamen auditis exploratoribus dicentibus, Chanaanæ esse viros fortissimos, habereque urbes inexpugnabiles, a fide hac defecerunt : ita pariter vobis Christianis, o Hebræi, non proderit hocce Christi Evangelium, quo promittit regnum cœlorum, audisse et credidisse, si metu persecutionum a Christi fide deficiatis; quare persicite in fide Christi, ut prosit vobis Evangelium, ac re ipsa promissam in eo hereditatem regni cœlestis carnatis et æternis.

Varietas
lectio-
num
hujus
loci, et
grammaticæ
lectio.

Non
quæ-
ritur
de
defini-
tione.

relinquatis fidem Christi, in qua vobis eam promisit Deus : nam si fidem hæc constanter retineatis, nihil vobis est timendum ; certo enim requiem illam ingrediemini. Id probat ex citato vers. *Psal.* xciv : « Sicut juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam. » Estque argumentum a contrario, q. d. Soli increduli Hebræi non sunt ingressi terram Chanaan; omnes autem credentes eam ingressi sunt : ergo sicut sola incredulitas illos ab ea exclusit, ita fides hos in eam induxit. Atqui Hebræi credentes et increduli Mosei, significabant allegorice homines credentes et incredulos Christo; rursus requies Chanaan significabat requiem cœli. Ergo pariter soli filii requie cœli excluduntur, qui Christo credere et obedire noluerunt : omnes vero qui credunt et obediunt Christo, in eoque perseverant, hanc cœli requiem ingredientur.

Nota *secundo* : Pro *sicut*, legit Interpres in Græco *ὅτι*, cum supra vers. 14, cap. iii, legerit *quod*, id est *quibus*, ut ibi dixi. Hic versus Hebræis ærem dat stimulum, quo pariter S. Cyprianus, tract. *De Laude martyrii*, Christianos in persecutione Deici ad martyrium extimulat : « Meminisse, inquit, debes velut quadam te foderis pactione constructum, ex qua aut capessende salutis sit iusta conditio, aut pœnæ merita formido. Stas inter adversa pariter ac prospera, arma inter et tela, hincque te secularis ambitio, inde cœlestis admonet magnitudo. Ante oculos tibi, quasso, concurrant oblata et præmia, et parata discrimina. Cælo Martyres gaudent, veritatis inimicos ignis absumit. Paradisus Dei testibus floret, negatores gehenna complexa æternus ignis inardescit. » *Inardescit*, id est comburit, scilicet ipsa gehenna, que non est aliud quam æternus ignis; est enim appositio. Sic Virgilius, *Georg.* IV, dicit : « Ardebat Sirius Indos. »

ET QUIDEM OPERIBUS AD INSTITUTIONE MUNDI PERFECTIS. — Est occupatio, per quam ascendit Apostolus ad explicandam anagogem sabbati, ut ex ea, et ex requie in Chanaan, evincat per verba citatis *Psal.* xciv : « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut exacerbarunt me patres vestri in deserto; quibus juravi in ira mea : Si introibunt in requiem meam : » hinc, inquam, evincat restare Christianis tertiam requiem in cœlo, q. d. Duplex requies olim promissa fuit a Deo patribus nostris. Prima requies fuit sabbati, qua Deus *Genes.* 1, 3, in honorem et memoriam sue creationis et quietis jussit homines quiescere ab operibus die septimo. Secunda requies fuit in Chanaan : atqui David, cum *Psal.* xciv loquitur de requie, eamque facile creditibus propositit, non loquitur de requie diei septimi sive sabbati, quis in illam jam pridem induci exant homines, scilicet ab initio mundicæzæ Deo, operibus sue creationis perfectis, sanctificavit diem sabbati, jussitque homines illo die quiescere et suam requiem imitari. David etiam

Soli per-
severantes
diem
requie.

Nota : Vox *enim* dat causam, cur vers. 1 dixerit : « Timeamus ne forte, relicta pollicitatione, existimetur aliquis ex vobis desse, » q. d. *Ne timendum est vobis, ne frustreremini spe cœlesti, si*

Tertia
requis
admi-
nistrata
per
duas
gratias.
Cultus et
requis
sabbati
in usu
sunt ante
legem.
Moria, ab
origine
mundi.

non loquitur de requie in Chanaan, ut patebit vers. 6 et 7. Ergo fatendum: est quod David loquitur de tertia requie in celo, eamque promittat fidelibus et Christianis, si in fide Christi persistant. Hæc omnia arguis patebunt vers. 7.

Hinc satis clare dicitur et evincitur, sabbatum cultum et requiem in usu fuisse apud homines ante legem Moysi ab origine mundi (sicut id negat Abulensis in cap. XXIII Levit., Quæst. III), ut scilicet diem septimum homines colerent, eoque a laboribus quiescerent in memoriam et gratiarum actionem creationis tam sui, quam totius mundi, quam Deus complevit die septimo: alioqui enim vim non haberet discursus et argumentum Pauli, ut patet ex dictis, et ex dicendis mox patebit magis.

Paulus
sua
loquitur
hic de
requis
Dei in
die septi-
mo.

Rursum, Paulus hic non loquitur de requie Dei in die septimo, sed de ejus effectu et imagine, scilicet requie hominum in sabbato, in quam ait nos ingredi, vel potius ingressos ab institutione Dei in mundi: ergo ex tunc homines sabbatum colere coeperunt.

Tertio, idipsum significatur Genes. II, 3, ubi dicitur, Deum jam tum sanctificasse, id est festum et sanctum decrevisse ac sanxisse diem septimum, ut scilicet recens hoc creationis beneficium solemnè hoc die iugiter recolerent homines, Deoque gratias agerent (1).

4. DIXIT ENIM IN QUODAM LOCO (Genes. II, ut notis vos Hebræi) DE DIE SEPTIMA SIC: ET REQUIEVIT DEUS DIE SEPTIMA AB OMNIBUS OPERIBUS SUIS. 3. ET IN ISTO (Psalm. XCIV, jam citato) CURSUM: SI INTROIBUNT IN REQUIEM MEAM. — En hic requies Dei duplex: prior in sabbato et sabbatismo, secunda in Chanaan, ut jam dixi.

Quies
Dei in
die septi-
ma a
prode.
tione no-
varum
specie-
ram, non
indivi-
duarum.
Quiescit
Deus
exempla-
riter et
efficitur.

Nota: Deus quiescit in die septima a creatione novarum rerum et specierum, non autem a productione et propagatione novorum individuum in quaque specie.

Nota secundo: Requies sabbati dicitur Dei, tum formaliter, quia in die septimo quiescit Deus a creatione; tum exemplariter et efficienter, quia quies hominum in sabbato, et cultus sabbati institutus est a Deo ad exemplar quietis Dei in sabbato: ideo enim jussit Deus homines quiescere in sabbato, quia ipse eodem die quiescit ab operibus suis.

See in
cabbato.

Nota tertio: rursum, q. d. Præter requiem sabbati, habet Deus aliam requiem, quam hominibus preparavit, et a qua incredulos exclusit, dicens: « Si introibunt in requiem meam, » de qua mox subdit:

6. QUONIAM ERGO SUPEREST INTROIRE QUOSDAM IN REQUIEM ILLAM, ET I QUIBUS PRIORIBUS ANNUNTIATUM EST (græce εὐαγγελίσθη, id est, quibus evangelizatum est, de quo dixi vers. 2), NON INTROIBUNT

(1) « Et quidem, » etc., id est, hic agit de æterna apud Deum quiete, quam Christiani post hujus vite labores ingredientur, sicut Deus ab operibus septima die quiescit: uti Allioni. Cf. vers. 10.

grediantur. Hoc elidit hic Paulus per verba David dicentis hodie. Per hodie enim insinuat etiam non cessare requiem in quam ingrediamur, ac consequenter sequitur eam non esse exhibitam per Josue, qui jampridem mortuus est. Itaque Paulus significat Davidem illis verbis: « Si introibunt in requiem meam, » per requiem intellexisse quidem ad litteram requiem in Chanaan; sed allegorice, et multo magis significasse requiem in celo Christianis promissam, figuratam per Chanaan: ad hanc enim quemlibet invitavit etiamnum David dicens: « Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra. »

Requis
Dei quod
beatum
sit pro
parati?

Innuvit ergo David, quod Deus vocans et promittens Hebræis requiem in Chanaan, hoc ipso tacite et allegorice eisdem vocari, eisque promiserit requiem in celo, quodque tam ab hac, quam ab illa Hebræi ob incredulitatem fuerint exclusi. Unde colligit Paulus: reliquum ergo est, ut Christiani hanc Dei requiem in celo, ad quam maxime Deus Hebræos vocaverat, occupent: hoc est enim quod subdit dicens:

9. ITAQUE RELINQUITE SABBATISMUM PEOPELO DEI. — Id est, ex dictis sequitur, aliud sabbatum, id est, aliam requiem, relinquere et restare populo fidei et Christiano, puta requiem, gaudium et solemnitate celestem, figuratam per quietem et festum sabbati veteris et Judaici. שבת sabbat enim hebræice significat quiescere, inde שבת שבת, vel sabbatum, dicitur quis: unde dies septima, in qua indicta erat omnibus quies, vocatur sabbatum; sabbatismus ergo idem est, quod requies.

Requis-
tis
collebitur
analogia
et necessari-
tate
duplice.

10. QUI ENIM INGRESSUS EST IN REQUIEM EJUS, ETIAM IPSE REQUIEVIT AB OPERIBUS SUIS, SICUT A SUIS DEUS. — Vox enim dat causam, cur hanc requiem Christianorum vocarit sabbatismum. Causa hæc est analogia et allegoria sabbatismi: sabbatismus enim vetus aliud non erat, quam quies ab operibus in die septimo, ut hæc quiete homines recolerent et representarent requiem Dei, quæ die septimo ab operibus creationis quævit. Hæc autem omnia allegorice, vel potius analogice, significabant, fideles et Christianos in æterna illa Dei requie in celo, pari modo, et multo felicibus quietibus ob omnibus operibus molestis et difficilibus virtutum, ab omni labore et lucta contra vitia et tentationes, ab omni mortificatione activa et passiva, quibus laborabant et affligebantur in hac vita. Significat ergo Sanctos in Ecclesia, non militante, ut vulgæ reza, sed triumphante, cessare ab omni labore hujus miseræ vite, que tota in negotio consistit. Vult enim probare veram illam requiem non solum non fuisse in terra Chanaan, sed ne esse quidem posse in hac vita, que, ut docet Job, cap. VII, vers. 1, non est aliud quam militia et laborum ac miseriarum omnium theatrum (1).

Quam suavis sit hæc requies Beatorum in celo pulchre docet S. Chrysostomus in israeli hom. 6: « Revera, inquit, illa est requies, ubi fugit dolor, tristitia, gemitus, et ubi neque sollicitudines, neque labores, neque agones; non est illic: in sudore vultus tui comedes panem tuum; non est illic: in tristitia generabis filios; sed omnia pax, gaudium, juvenantibus, volubitas, bonitas, mansuetudo; non est illic invidia, neque zelus, neque morbus, neque mors; non ibi tenebræ, neque nox, semper diei claritas; non est fatigari, non fastidium accipere, semper in desiderio honorum perseverabimus. » Et que sequuntur.

11. FESTINEMUS ERGO INGREDI IN ILLAM REQUIEM. q. d. Dum in vitæ hujus deserto, instar Hebræorum, peregrinamur et tendimus ad requiem, et terram promissam in oculis, non consistamus, non respectemus, non lassemur, non cadamus animo ob labores, et hostium incursum ac persecutiones, sed forti et constanti animo pergamus, imo festinamus ingredi in illam requiem.

« Cursu, inquit S. Chrysostomus hic in moralis homil. 7, opus est, et vehementi cursu: qui currit, non ad prata adjacentia, non ad amicos, non ad spectatores, sed ad palmam attendit, non consistit, metæ vicinus non languet, sed cursum intendit: sic quo seniores et celo viciniorem sumus, eo magis et concitatius currere debemus. » Festinandum nobis est, ait D. Thomas, in hac peregrinatione, quia via longa est, vita brevis, vocatio Dei urget et in mora est periculum. »

UT NE IN IDIPSUM QUIS INCIDAT INCREDULITATEM EXEMPLUM. — Id est, ne quis fiat simile incredulitatis exemplum, quale scilicet fuerunt Hebræi; ut, sicuti Hebræi ob incredulitatem Chanaan exclusi sunt, ita nos, ob eandem, celo excludamur. Valabius et Erasmus vertunt, ne quis eodem concidat incredulitatis exemplo; vel, ne quis ob incredulitatem corrumpat, ut illi corruerunt et prostrati sunt in deserto.

Nota: Hebræi maxima parte itineris ex Ægypto in Chanaan confecta, cum jam Chanaanæ vicini essent, ob exploratorum tristitia et timida nuntia, telligitur; nam historia transfertur ad rem similem, diversam quidem in multis, sed in quibusdam tamen apte respondentem rei, cum qua comparatur. Sensus, allegoricè expressus, hic erit: Deus quiescit; populo ejus promissa est quies: Israelitæ non pervenerunt ad quietem ob incredulitatem; credentes autem fruentur ista quiete. Hujus allegoricè sensus propriis verbis expressus erit: Deus est beatissimus; etiam homines Deo beatos reddere vult; Israelitæ propter incredulitatem a non facti sunt participes felicitatis; credentes autem, certissime fruentur ista felicitate. Ceterum non est, cur offendamur hæc allegoria. Accommodata est enim hæc ratio illustrandæ doctrinæ ingenio Judæorum, qui omnia allegorice demonstrare conabantur, ut difficile apparet e libris Rabbinicis, maxime vero e Philone. Que igitur argumenta nobis videntur parum idonea esse, eadem ad persuadendum Judæis vim hanc exigentibus labere poterant. » Hæc Rosenmullerus, satis appositæ ad h. l., sed nimis generalia, rationalistamque paulisper redolentia.

Quo
vicinior
quis est
palmæ,
eo concitatus
currere
debet.

(1) « Totum hunc locum esse allegoricum, facile in-

Deo diffidere cœperunt, voleruntque reverti in Ægyptum; unde Deus iratus eos per quadraginta annos circumduxit in deserto, ut omnes morte consumeret. Idem hic minatur et intendit Apostolus Hebræis, ad Christum jam conversis; scilicet eos, nisi in fide Christi persistant, omnesque tentationes, terrores et persecutiones superent, celo excluderent esse, si videlicet persecutionum metu a Christo ad iudaismum desciscant.

Moralius illud ipsum exemplum applicet sibi eiusque illorum, qui Dei vocationi ad fidem et penitentiam, vel etiam ad virginitatem, Religione et perfectionem resistunt, eamque negligunt et spernunt, contra quos tonat Dominus *Prov. 1, 24.*

12. VIVUS EST ENIM SERMO DEI, ET EFFICAX. — Vox enim dat causam, cur timere debeant Hebræi, si a fide Christi recedant, ne incidant in idem cum priscis Judæis, incredulitatis exemplum. Causa hæc est, quia sermo Dei vivus est et efficax, qui hoc exemplum de eis statueret vult et potest.

Quæres, quis sit hic sermo. Aliqui intelligunt Dei miracula et minas, que intendunt incredulis. Verum longe aptius et melius alii passim intelligunt Dei Filium: hic enim *Joan. 1, 1*, æque ut hic dicitur λόγος, id est, verbum vel sermo, scilicet mentis et conceptus paterni. Idem patet ex sequentibus. Nulli enim verbo aut sermoni nisi Filio competit id quod sequitur, quod scilicet sit discretor cogitationum, et quod omnia nuda et aperta sint oculis ejus.

Dices: Cur ergo Paulus clare non nominat Filium, sed vocat eum λόγος, id est, sermonem vel verbum?

Respondetur primo, quia proprium nomen Filii est λόγος: sicut enim nos cogitando, vel intelligendo formamus nobis conceptum rei cogitate vel intellecte, qui dicitur verbum vel sermo mentis: ita Pater æternus intelligendo et comprehendendo suam essentiam, et omnia quæ in ea sunt, formavit et produxit hoc Verbum æternum: hoc tamen discrimine, quod nostrum verbum, utpote imperfectum, menti nostræ non sit adæquatum, sed accidens sit et actus vitalis intellectus, quo rem concipimus et intelligimus; Dei vero Verbum perfectissimum, Deoque adæquatissimum, sit persona subsistens et producta (scilicet Filius Dei), qua, et per quam Pater dixit, et facta sunt omnia, *Joan. 1, 3*; unde S. Joannes 1, propriam Filii Dei rationem et naturam describens et definiens: « In principio, inquit, erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. » Quod pulchre suo carmine transtulit Nonnus, cum ita canit:

Λόγος ἦν, ὃς ἦν, ὁμοῦς τῷ πατρὶτι λόγος ἀρχῆ, Ἰσοῦς αὐτῷ, γεννητὸς ὁμοῦς αὐτῷ, οὐκ ἀκτιστος.

Id est,

Sine tempore erat, incomprehensibile in ineffabili Verbum principio, æqualis nature, Patri coævus, Filius sine matre.

Hinc etiam Gentiles philosophi et Theologi, ut Trismegistus, Orpheus, Plato, alique Græci, Chaldæi et Ægyptii Deum Patrem vocarunt, id est mentem; Filium vero λόγος, quasi mentis prolem et verbum, ut testatur Theophrastus, lib. 11 *De Curandis Græcorum affectionibus*, et S. Augustinus, lib. VII *Confess.*, cap. 11.

Secundo causa, cur Paulus Filium Dei potius vocet sermonem, quam filium, cuius aliquid ad sermonem fidei, de quo dixi vers. 2; hoc enim Verbum mentale ab æterno factum est vocale in tempore, cum locutum est per os Moysi et Prophetarum, et maxime cum ipsamet Verbum induit carnem, os et vocem hominis, fidemque ac voluntatem Dei Patris suo sermone nobis enarravit et evangelizavit.

Tertia causa est, quia Filius Dei suo sermone, id est sententia, decreto et jussu puniet eos, qui increduli suum sermonem fidei repulerunt; credentes vero, illique dicto audientes præmiabit. Hoc enim proprie hic intendit Apostolus.

Sensus ergo est, q. d. Quidquid Dei Filius promisit et comminatus est incredulis per os et sermonem Davidis, Prophetarum et Apostolorum, id certo et efficaciter præstabit suo sermone, decreto et jussu. Est enim ipse sermo omnipotens, vivus et efficax, ut incredulos et rebelles occidat, damnent et cruciet pena vivæ in æternum; fideles vero præmiat et salvet, ut regnent et vivant in æternum. Ita Theodoretus, (Eumenius, S. Thomas, Lyranus, Cajetanus et alii.

Nota: λόγος tam sermonem, quam verbum significat; unde sicut illud *Joan. 1, 1*: « In principio erat Verbum, » verti potest, in principio erat sermo, inde enim Tertullianus, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus et alii veteres Filium sæpe vocant *Sermonem*: ita hic vicissim verti potest, vivum est enim verbum Dei et efficax, et ita legit S. Ambrosius, lib. IV *De Fide*, cap. III. Sicut enim Verbum, utpote unum et simplex, simplicitatem: ita sermo integritatem et perfectionem Filii Dei significat. Sermo enim ex multis verbis constans, integrum perfectamque effert et enuntiat sententiam, non unam tantum, sed et plures sæpe. Unus enim sermo sæpe multis propositionibus et sententiis coalescit et conflatur, quod huic loco congruit. Paulus enim inducit hic Christum quasi sermonem multivarium, qui scilicet singulorum cogitationes examinet et discernat; atque hoc præmiat, illos præmiat.

ET PENETRABILIOR OMNI GLADIO ANCIPIET. — Pro penetrabilior græce est παρὰ τὸν, id est conditor, magis incidens; τὸν enim idem est quod seco, inciso. Secundo, pro ancipiti græce est δις ακλῆς, hoc est, habentem duo ora, id est, duas acies, scilicet utrimque acutum et incidentem. Sicut enim Hebræi, ita et Græci, aciem gladii vocant os, quod instar oris homines mordeat et devoret. Unde illud in Scriptura tritum: Percussit illos in ore gladii, id est in acie, vel per aciem

Filius enim sermo puniet infidelis.

Sermo est verbi coarctatissimus, et diducibilis.

gladii. Jam sensus hujus loci est, q. d. Sermo Dei omnia penetrat, estque quasi anceps gladius habens duplicem aciem, puta aciem duorum testamentorum, novi scilicet et veteris, ait S. Augustinus, lib. XX *de Civit.*, cap. XII. Sed hoc mysticum est. Secundo, S. Thomas: Sermo Dei, inquit, est anceps, quia paratus et expeditus est, tam ad sciendum, quam ad agendum; tam ad bona promovenda, quam ad mala divertenda. Sed hoc mysticum et tropologicum est.

Dico ergo tertio et genuine: « Sermo Dei, » id est Filius Dei, est « penetrabilior gladio ancipiti, » id est, acutissimus est, profundissime et undique penetrat, sicuti maxime secat et penetrat gladius anceps, qui utrimque secat. Porro hæc vis penetrandi sermonis, id est Filii Dei, consistit partim in cognitione, partim in activitate. Sicut enim gladius anceps, secans et penetrans hominem, non tantum maxime activus est, maximamque secandi vim ostendit, sed etiam hoc ipso quo hominem secat et penetrat, hominis intima denudat, eaque omnibus cognoscenda et intuentia proponit: ita et Filius primo, penetrat et pervidet omnia corda et cogitationes, ut nulla in credulitas aut iniquitas, quantumvis in corde abscondita, eum latere possit; unde explicans idipsum Apostolus subdit: « Discretor est cogitationum, et omnia nuda et aperta sunt oculis ejus. Secundo, idem Filius sua presentia et activitate penetrat omnia, ut quosvis peccatores, et quævis peccata quantumvis recondita, punire, damnare, occidere et dissecare possit: sicut enim oculus, ita et manus habet acutissimas, maximeque efficaces et penetrantes.

Moraliter Hugo Victor in *Joelis* cap. III. « Vivus, ait, est sermo Dei, ut credas; efficax, ut spes; penetrabilis, ut timeas. Vivus est in præceptis et prohibitionibus; efficax in promissis et comminationibus; penetrabilis in judiciis et damnationibus. Quia igitur vivus est sermo Dei, credendum est eum vera promittere; quia efficax, credendum est eum promissa perficere; quia penetrabilis est, et falli non potest, eum offensus legendum est, et de cætero offendere cavendum est. »

ET PERTINGENS USQUE AD DIVISIONEM ANIMÆ AC SPIRITUS, COMPAGUM QUOQUE AC MEDULLARUM. — Anima est inferior pars hominis, in qua resident cupiditates et affectus partim nature, partim concupiscentiæ, a quibus homines animales vocantur. Spiritus vero est superior pars hominis, fide et gratia Dei illustrata, a qua homines Spirituales dicuntur, q. d. Verbum hoc, sive sermo Dei, puta Filius examinat et discernit motus et cogitationes tam animales quam spirituales, « compages quoque et medullas, » id est intimas hominum partes: compages enim sunt cartilagine, musculi et nervi, quibus in homine os unum alteri colligatur; medulla vero est succus et pinguedo ossibus inclusa. Discernit, inquam,

hæc Filius, ita scilicet, ut pervideat qui motus ab anima, qui a spiritu proveniant, an scilicet hæc illave cogitatio, affectus et desiderium permanet a natura aut concupiscentia, an vero a Dei gratia, q. d. Omnia omnino, etiam abditissima et intima, videt, penetrat, examina, judicat et vindicat Christus Dei Filius; et hæc est tam absconditum, quam non penetrat et oculi et manus Christi.

S. Gregorius, homil. 11 in *Ezech.*, per compages intelligit cogitationes sibi invicem instar compagum connatas; per medullas vero intelligit intentiones, ut seipsum explicans subdit Apostolus.

DISCRETOR EST COGITATIONUM ET INTENTIONUM CORDIS. — Pro discretor græce est χωρῆς, id est, criticus est Christus, judex et censor cogitationum et intentionum cordis; scilicet et pervidet quid quisque cogitet et velit, et quo fine; perspicit fundum animæ nostræ, uti nos perspicimus lapillos in fundo limpidissimæ aquæ jacentes: perspicit, inquam, Christus intima nostra desideria, hoc fine ut ea judicet et præmiat, ut puniat et vindicet, v. g. ut vos, o Hebræi, si in fide sua persistatis, glorificet; sin metu persecutionum ab ea deficiatis, etiam per latentem vel occultam tantum diffidentiam, apostasiam, vel incredulitatem, damnet et reprobet.

Moraliter nota hunc locum pro presentia et omniastrata Dei, que cuique magno debet esse stimulo, ut se compescat ab oculis et mentalibus peccatis et desideris pravus, utque bonis et sanctis cogitationibus et studiis semper insistat. « Oculis Dei simul universa cernentis, inquit S. Augustinus, serm. 2 *De Tempore*, non abdita locorum, non parietum septa secludunt; nec solum ei acta et cogitata, verum et agenda et cogitanda sunt cognita. Ista vera scientia summi judicis, iste est tremendus aspectus, cui pervium est omne solidum, et apertum omne secretum, cui obscura clara, muta respondent, silentium confitetur, et sine voce mens loquitur. » Pulchre et affectuose idipsum pertractat auctor *Soliloquiorum*, cap. XIV, qui exat tom. IX operum S. Augustini. Gentiles idipsum agnovernit. Ita Theiles, septem Græciæ sapientium sapientissimus, dicebat, « homines sibi persuadere debere, deos omnia cernere, deorumque omnia esse plena, ut coram iis casto et sancte vivat. » Idem rogatus, num facta iniqua deos latent, respondit: « Ne cogitata quidem: secretis enim cogitationibus coelestem numen adest et interest. » Homerius, qui sit Deus, ita definit:

Ἴδενος ἢ πάντ' ἄρρηκτῶ, καὶ πάντ' ἐπιστάται. Est sol qui omnia videt, et omnia scit.

Nimirum, ut ait Sapiens, « in crani loco oculi Domini contemplantur bonos et malos, » *Prov. xv*, vers. 3; et cap. XVI, 2: « Omnes via hominis patent oculis ejus; spirituum pæderator est Domi-

Loco moralis de presentia et omniastrata Dei.

mus: » Hinc Ægypti pingebant Deum, quasi oculum bæulo innixum, ut significarent Dei omniscientiam et providentiam, pervigilemque curam quasi pastorem. Sic Osirim deum sum pingebant, quasi sceptrum habens in se oculum insculptum, ut Macrobius, lib. I, cap. xvi. Sceptrum significat dominum et potestatem regiam, oculus omniscientiam. Unde et Græci Θεὸν ὀφθαλμοῦ ἐπιπέτοντες, id est a videndo, nominant. Hinc et Jeremias, cap. i, vidit Deum quasi virgam vigilan- tem (1).

Ver. 13. 13. ET NON EST ULLA CREATURA INVICIBILIS IN CONSPETU EJUS. — Pro invisibilis, græce est ἀφανής, id est, non apparens, occulta, et consequenter invisibilis.

ONIA AUTEM NUDA ET APERTA SUNT OCVLIS EJUS. — Pro aperta græce est παραρθησάντων, quod a παραρτίζω, id est a collo, deducitur, ac primo verti potest cum Theophylacto jugulata aut decollata, et cum Chrysostomo excoriata, ut sit metaphora ab ovibus jugulatis et excoriatis, q. d. Sicut oves pelle sua excoriata a collo ad caudam usque nudæ sunt, et omnia earum extima et intima revelantur: sic Christo Dei Filio omnia sunt nuda et aperta. Secundo Gagneus, παραρθησάντων, inquit, est a collo ad caudam medium secare, sive per medium dorsum findere, ita ut intestina animalis fissi denudentur et patent intuenti; sic Christo omnia patent, perinde ac si diffusæ essent. Tertio, Erasmus, Ribera et Scapula in Lexico, παραρθησάντων, inquit, est, in collum sive cervicem reclino et respicio hominem aut animal, ita ut facies respiciat omnibus aperta et conspicua proponatur. Quo sensu poeta ait: « Aulum respiciat amici: » respiciat, id est aperit, patentem et conspicuum facit, ut eam persectetur, sic Christus omnia quasi respiciata in facie nude et clare innotuit. Omnes hæc etymologiae huic loco percommode sunt: secunda tamen Gagneii nervosior et significantior est.

AD QUEM NORIS EST SERMO. — Id est, de quo nobis est sermo, de quo loquor. Est hebraismus, וְאֵל עָלַי נָתַן מִן הַשָּׁמַיִם וְאֵל עָלַי נָתַן מִן הַשָּׁמַיִם, id est, ad quem; pro de quo.

Aliter Chrysostomus, Theophylactus, Cœcumenius et Adamus, q. d. Cum quo nobis est ratio, causa, negotium, cui omnium actuum nostrorum rationem reddemus. Græcum enim λόγος non tantum sermonem, sed et rationem significat.

14. HABENTES ET PONTIFICEM MAGNUM, QUI PENETRAVIT COELOS, JESUM FILIUM DEI, TENENTIS CONFSSIONEM. — A Vers. 14 hucusque egit con-

(1) Multi comma 13 sic interpretantur: Quidquid enim Deus efficit, id vim habet et efficaciam. Igitur ejus minime potest fecerit debent homines; nam ubi homines non emendat, hic comminationibus, infligitur poena, gravissime animam vulnerans. Ceterum comminationes Dei non tantum ad facta, sed etiam ad cogitata nostra pertinent: si vel animo cogitamus, falsa vel dubia esse, que Deus minatur, poena digni sumus.

tra incredulos, et ab incredulitate Hebræos metu vindictæ per Verbum et Filium Dei exorcendam deterruit; jam credentes alloquitur, Etandæque eos hortatur, ut in fide Christi persistant, itaque requiem celi ad quam vers. 11 et præcedentibus eos hortatus est, ingredientur, q. d. Agite, Hebræi, persistite in fide Christi, ad requiem in caelis properate: esto, cœli longe a nobis absint, facile eos conscendemus et penetrabimus, duce Christo qui eos penetravit eosque nobis pervios fecit, dummodo confessionem scilicet fidei et spei nostræ (uti addunt et exprimit nonnulla Biblia Latina, licet in Græcis et Romanis nihil tale habeatur) constanter retineamus. Vide dicta cap. iii, vers. 1.

Nota, cap. iii hucusque Apostolus Christum opposuit Mosi, tanquam Apostolum novum Apostolo veteri: jam et deinceps opponit et anteponeit Christum Aaroni, tanquam pontificem novum pontifici veteri: qui non sancta sanctorum ut Aaron, sed cœlos ipsos penetravit, ut Deo assistat, tanquam pontifex pro nobis interpellans, et peccata nostra explicans, cœloque nobis reserans.

15. NON ENIM HABEMUS PONTIFICEM, QUI NON POSSET CONDOLERE INFIRMITATIBUS NOSTRIS, TENTATUM AUTEM PER OMNIA PRO SIMILITUDINE ABSQUE PECCATO. — Est occupatio. Dicere enim potuissent Hebræi: Tu, Paule, recte dicis Christum penetrasse cœlos, ibique esse pontificem nostrum; sed exigua hæc nobis est consolatio: Christus enim in cœlis beatus et gloriosus non sentit, non experitur, ac consequenter non multum condoleat et æstimat, nec multum juvare et amoliri nihil nostras infirmitates, id est, persecutiones et ærumnas tot et tantas, ut videantur pene intolerabiles, que nos hic extreme affligunt, et languidos infirmosque ac pene desperatos efficiunt: qui enim sentit et experitur alterius dolores, longe facilius eis compatitur et succurrit. « Non ignara mali miseris succurrere disco, » aiebat Dido. Huic objectioni respondit hic Apostolus, negando illud assumptum: Christus enim omnes nostras infirmitates expertus est, et per omnia tentatus et afflictus est « pro similitudine, » id est, omnino similiter atque nos, ac proinde expertus omnia seit et potest, id est, proclivis et prohus est, ut compatiatur et succurrat omnibus tentationibus, ærumnis et infirmitatibus nostris.

Nota: « infirmitates » per Hebræam metonymiam et metalepsim vocat dolores: dolores enim sunt causa infirmitatis et inglorios tam corporis, quam animi. Vide dicta I Corinth. xii, vers. 5 et 10.

Secundo, pro condolere græce est συμπάσκειν, id est sensu alieni mali tangi et affici, cum alio patiente pati.

Tertio, pro similitudine græce est καθ' ἁμοιότητα, id est æquitate; hoc est similiter, supple nobis, vel nostris infirmitatibus. Tamen enim καθ' ἁμοιότητα, id est nostris,

Quilongæ notabilia circa hæc Apostoli verba.

quod præcessit, hic subauditur et repetendum est; quod Hebræi dicunt כִּדְמוּתוֹ *kidmutenu*, id est, secundum similitudinem nostram, hoc est, omnino similiter atque nos: solent enim Hebræi cum perfectam et omnimodam similitudinem significare volunt, congeminare notas similitudinibus, uti כִּדְמוּתוֹ, et דְּמוּתוֹ *demut*, quod Græci imitantur, dicentes καθ' ἁμοιότητα, vel παραμοιωσίνος, ut dixit Apostolus, cap. ii, vers. 14.

Quarto, pro tentatum autem, clarius Valabius et alii vertunt, sed tentatum. Est enim antithesis ejus quod præcessit, « qui non possit condolere, » quia scilicet non est tentatus, tentationes nostras non est expertus. Rursum, « per omnia, » id est, per omnes infirmitates nostras.

Quinto, « absque peccato, » id est, excepto peccato, græce χωρίς ἁμαρτίας, id est, extra peccatum, q. d. Christus licet per omnia tentatus sit, immunitatem tamen et semotum se servavit a peccato; ita et vos, o Hebræi, licet tentemini, tamen tentationi non cedite, nec peccato consentite: hoc enim in vestra est manu et potestate, sicut fuit in potestate Christi.

Quaritur hic, an Christus proprie tentatus fuerit, et an omni modo et omni infirmitate quæ nos tentantur? Respondeo: Proprie Christus tantum exterius a diabolo tentatus fuit, interius vero a carne, phantasia aut concupiscentia tentari non potuit: cujus ratio est, quia interior tentatio est inordinata delectatio partis inferioris, sive est ipse motus concupiscentie rationem preveniens et alienans ad peccatum. Sicut ergo Christus, utpote peccatum expiatorum et aboliturus, expers plane fuit peccati, ita et expers fuit concupiscentie et tentationis internæ: concupiscentia enim ex peccato orta, peccati est initium et inchoatio, ac proinde esse non potest nisi in natura per peccatum vulturata et saucia, qualis esse non potuit in Christo.

Hinc sequitur, licet passiones fuerint in Christo, non fuisse tamen propassiones; explico: fuit in Christo ira, auidacia, timor, sed ita ut rationem et voluntatem Christi prevenire, ipsoque invito, vel inscio exoriri, concitari et exurgere non possent; hoc enim est propassionum: omnis enim motus ire, auidacie, tristitie in Christo, ab eo libere fuit assumptus, et a ratione et voluntate Christi dicitus et imperatus, ita ut irasci aut tritari Christus non posset, nisi irasci aut tritari vellet et eligeret. Erant enim passiones omnes Christo, utpote in natura integra et perfecta (qualis fuit in Adam ante peccatum) constituto, subdita prorsus et subiecte: talis enim natura debebat Salvatore et Dei Filium. Verum de hujusmodi tentatione, qua diabolus Christum, aut concupiscentia nos ad peccatum sollicitat, proprie non loquitur hic Apostolus, ut mox patebit.

Secundo, cum dicit Apostolus Christum tentatum fuisse per omnia, id est per omnes infirmitates nostras, non intelligit, nec amplectitur ignoran-

Christus fuit ex-
pers concu-
piscen-
tia
Sicutum
græce
nihilis.

In Chri-
sto fuisse
passio-
nes, non
tamen
propas-
siones.

Omnes
motus
Christi
libere as-
sumpti.

tiam et defectum scientiæ aut gratiæ: hæc enim non sunt infirmitates, id est dolores et afflictio- nes; neque decebat hæc esse in Christo, utpote qui ad hoc in mundum venerat, ut homines ab hisce defectibus sanaret, ut ignorantes doceret, instrueret, etoque gratos redderet. Porro nam ergo ex hæc Apostoli sententia Lutherus, Bucerus et Calvinus inferunt: Irrogis in Christo fuit igno- rantia: faciunt ergo ipsi ex hoc loco Christum Aenoitam. Respondeo, nego consequentiam. Nam ignorantia est filia et appendix necessaria peccati, æque ac concupiscentia. Pari enim modo infir- moerit: Ergo concupiscentia fuit in Christo. Itaque sicut in Christo non fuit peccatum, ita nec fuit concupiscentia, aut ignorantia: hæc enim sunt proprie et individue comites peccati, et ejusdem cum peccato rationis, ordinis et indecentiæ esse censentur. Quocirca hæc in Christo non instru- menta (uti fuerunt cruciatus et poenæ), sed im- pedimenta satisfactionis et redemptionis nostræ fuissent: ergo in eo esse non poterunt. Vide Bellarminum lib. IV De Christo, cap. 1.

Tertio, per « infirmitates » Apostolus non intelli- git morbos et ægritudines: hæc enim non sunt natura, id est, omnibus hominibus communes, sed particularium sunt personarum, ex particu- lari parentum, vel ipsorum ægrotantium intem- perantia, aliove excessu, defectu aut vitio orta: Christus autem tantum assumpsit naturalem et innoxiam passionem, communes toti generi hu- mano, non autem proprias certarum personarum, uti sunt hi illic morbi: hoc enim Christo dece- bat, nimirum ut totus esset sanus, qui naturam nostram plane sanaturus advenerat. De quo plura dixi cap. ii, vers. 17. Quare licet verbera et do- lores admiserit et suscepit Christus, non tamen iis temperem sui corporis ita distemperari, ut in alios morbum incidere; sed tantum eorum vi et acer- bitate animam a corpore excludi, mortemque violentam, qua nos redimeret, sibi inferri per- misit.

Quares: Quæ sunt ergo « infirmitates nostræ, » quas Christus in se suscepit, quibusque competi- tur?

Respondeo primo, est carnis et animæ fragilitas; Quatuo secundo, sitis, fames, fatigatio et similes homi- num ærumnæ; tertio, naturalis horro- mortis, ignominia, verberum, spoliatio; quarto, ipsa mors, verbera, irrisiones, contumelia, spoliatio honorum omnium. Hæc duo ultima nomine in- firmitatum proprie hic intelligit Apostolus: hæc enim erant infirmitates Hebræorum, nimirum persecutiones, spoliatio. Quæque poenæ eis ab fide Christi a Judeis ministratibus inflictæ. Unde ad eas fortiter tolerandas exemplo Christi, ejusque gratiæ et auxilii spe et promissione, eos hic et saepe alibi hæc epistola adhortatur. Aposto- lus: hisce enim « tentatus, » id est afflictus, vel « tentatus, » id est, probatus et exploratus, fuit Christus; ejusque fides et constantia, et hæc su-

In Chri-
sto non
fuit mor-
talitas,
vel do-
lecta
gratia

In Chri-
sto non
fuerunt
morbis.

Morbos
non
erant.

Christus
admisit
verbera
in aliis
morbum
causa, et
quare?

Quatuo
genera
infirmi-
tatum
suscepit
Christus.

assumi et eligi a Deo ad sacerdotium, sicut electus est Aaron ejusque posteris; idque hoc fine ut eandem Christo applicet, probetque Christo convenire, ut patet ex his quae statim subdit.

5. SIC ET CHRISTUS NON SEMETIPSUM CLARIFICAVIT. — Graece ἑξῆς, id est glorificavit, claritatem et dignitatem non ambivit, non usurpavit, sed ad eam erectus et electus est a Deo Patre, qui dixit ad Christum, *Psalm. 11*: « Filius meus es tu, ego hodie genui te, » *q. d.* Non mirari debetis, o Hebraei, Christum a Patre constitutum esse pontificem, et prelatum esse Aaroni, quia Christus est Filius Dei Patris; si Filius, quid mirum si pontificia dignitas ei detur, praesertim cum Jure gentium receptum fuerit etiam ante Mosem et Aaronem, ut filii primogeniti essent sacerdotes et pontifices. Qua de re ita scribit S. Hieronymus, *epist. 126 ad Evagrium*: « Tradunt, inquit, Hebraei, quod usque ad sacerdotium Aaron, omnes primogeniti ex stirpe Noe, cujus series et ordi desorbularit, fuerint sacerdotes, et Deo victimas immolarent: et haec esse primogenita quae Esau fratri suo vendidit Jacob. »

Jure gentium feruntur si pontificia dignitas ei detur, praesertim cum Jure gentium receptum fuerit etiam ante Mosem et Aaronem, ut filii primogeniti essent sacerdotes et pontifices.

Primogenita Esau vendidit fratri suo Jacobo, et quaerant illa?

Hoc ergo communi gentium Jure Christo, tantum unigenito et primogenito Patris, imo primogenito omnis creaturae, debebatur sacerdotium et pontificatus.

6. QUAEADMODUM ET IN ALIO LOCO (*Psalm. cix*) DICIT: TU ES SACERDOS IN AETERNUM, SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH. — « Dicit, » scilicet Deus Pater ad Deum Filium hominem factum, cum eum elegit et constituit sacerdotem: Dei Patris enim ad Filium haec esse verba patet ex *vers. 1, Psalm. cix*, ubi ait: « Dixit Dominus (scilicet Deus Pater) Domino meo » (scilicet Christo Filio suo).

Nota: Cum dicit Christum esse « sacerdotem secundum ordinem, » id est ritum, « Melchisedech, » hoc ipso praefert Christum Aaroni; Melchisedech enim dignior fuit Aarone, ut multis demonstrat Apostolus *cap. vii*, ubi hunc ordinem Melchisedech explicabo.

7. QUI IN DEBUS CARNIS SUAE, — qui dum in carne hac mortali et fragili inter homines viveret. Ita S. Thomas: hanc enim carnem exiit Christus in morte, et in resurrectione induit carnem immortalem et impassibilem. Affert haec Apostolus, ut probet Christum pontificem nostrum circumdatum esse infirmitate nostra, ideoque facile nobis condolare et compati: hanc enim Christi infirmitatem probat primo, caro Christi similis nostrae carni. Secundo, quod in agonia mortis constitutus in summo angore et dolore petierit a morte liberari. Tertio, quod ex hoc angore lacrymans sit et valide clamavit, et, ut Syrus habet, mugierit (hoc enim significat מְגַעַת *geata*) ad Patrem, postulans opem et liberationem.

Nota: Videtur Apostolus loqui de oratione Christi in deserto, ubi proditus est a Juda, et captus a Judaeis. Ita Theodoretus, Oecumenius, et Beza. Rursus videtur loqui de oratione

Christi in cruce; ibi enim clamore valido clamavit Christus: « Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. » Ita Ambrosius. Hinc ergo patet Christum in illa oratione et forte alias saepe lacrymas fuisse, licet id non narret Evangelista; nec id mirum, cum in eadem oratione Christus ex angore sudaverit sanguinem, ut habet Lucas, *cap. xxii*, *vers. 44*; nam, ut ait S. Bernardus, *serm. 3 in Dominica Palm.*: « Christus non contentus fuit lacrymis oculorum, sed totius corporis sanguineis lacrymis peccata nostra fluxe et lavare voluit. »

Unde nota secundo, hunc Christi angorem, lacrymas et sudorem sanguineum testem infirmitatis a Christo assumptae, provenisse ex vivaci imaginatione flagellationis, coronationis, mortis dolorumque omnium, quos mox subiturus erat: imo enim naturaliter manabat eorumdem horror et angor, cum quo dum luctatur Christus, ut eum superet, summamque ab hoc sibi vim inferat, factus in agonia sudavit sanguinem.

Nota tertio, in illa oratione non tantum petiisse Christum a morte liberari, sed etiam et magis petiisse nos a peccato et morte liberari, ideoque tandem mortem voluntate absoluta et efficaci accepit, Patrique de ea voluntatem fieri postulavit, dicens: « Verumtamen non mea, sed tua voluntas fiat, » in eoque exauditus est, ut subdit Apostolus.

EXAUDITUS EST, — non in sua petitione prioritate et inefficaciter, si fieri posset, mortem evadere: illam enim Christus ipse correxit, illamque impleri absolute noluit; sed in sua petitione posteriori et voluntate absoluta atque efficaci, qua oravit non pro fuga crucis et mortis, sed pro implenda Patris voluntate circa passionem suam, ejusque fructum, scilicet ut sua passione et morte mereretur sibi resurrectionem a morte, nobis salutem tam corporis quam animae.

Addit haec Paulus, ut ostendat Christi pontificis nostri preces esse efficaces, et a Patre exaudiri, ideoque nobis omnem spem et fiduciam in Christo esse collocaendam.

PRO SUA REVERENTIA. — Graece ἡμῶν τῆς ἀνάστασις, Calvinus et Beza vertunt *ex metu*, scilicet aeternae damnationis, *q. d.* Paulus: Exauditus est Christus et liberatus ex metu damnationis, in quo versabatur, dum in agonia positus totus animo percussus, conternatus et obrutus pondere irae Dei, videret Deum sibi ob peccata hominum maxime esse infensum: ita ut se irae divinae pondus suslinere non posse, deque se jam actum esse putaret, unde exclamavit: « Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » quae verba, ait Beza, sunt hominis in ipso jam gurgite sese perisse vociferantis. Putant enim Calvinus et Beza, non plenam futuram fuisse redemptionem et satisfactionem Christi, nisi Christus om-

lacrymas Christi orantis

in quo Christum crucifixum?

nam Dei iram excepisset, et sensisset Deum sibi infensissimum, adeoque sensisset damnationem peccatis nostris debitam, et cruciatu hominis damnati: non enim alium inferam vel damnationem agnoscit Calvinus, quam hanc apprehensionis et imaginationis, qua scilicet animae damnatae perpetuo apprehendunt Deum sibi esse iratum, qua apprehensione seipsas cruciant. Sed haec est blasphemia tam absona, quam horrenda et saeculis omnibus inaudita. Si enim Christus in agonia ita desperavit, et damnationem nostram sensit ac passus est, ergo non tantum gravissime peccavit, sed et pro illo tempore damnatus fuit, perinde ac jam Judas actus adeo pro nobis satisfacere non potuit, ut potius longe magis Deum irritaret, gravissimamque illi injuriam irrogaret. Quare Christus tum redemptor noster esse non potuit, imo vero alio longe potentiori eguit redemptore.

Cujus Christiani aures ferant has voces: Christus desperavit, Christus irae Dei succubuit, Christus damnatus est? Scimus Christum morti succubuisse, sed sponte sua, ideoque exclamavit: « Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? » nimirum in crucis et mortis sensu, ut hoc suo sensu Martyribus, nobisque omnibus mortis sensum vel adimeret, vel minneret. Sed Christum desperationi, damnationi et gehemae succubuisse, quod dicere, imo audire non perhorrescat? Respondet Beza, hoc desperationis motus in Christo non fuisse deliberatos, nec fuisse in voluntate et ratione superiori, sed tantum in parte et appetitu inferiori. Verum hoc perperam et insulse dicitur, primo, quia in Christo aequo ut in Adamo, nullus erat conceptusque aut passionis alicujus motus rationem praeveniens, sed omnes ejus actus ratio praevidebat, eliciebat, dirigebat, et essent actus hominis perfecti, pura rationales et delibati. Secundo, quia appetitus sensitivus vel inferior non potest apprehendere Deum sibi iratum: hoc enim objectum, utpote spirituale et sublime, est rationis et partis superioris. Tertio, quia etiam concedamus hos motus Christi fuisse tantum in parte inferiori, tamen fuisse eos aliquo modo Christo voluntarios negari non potest: Christus enim hos motus in se advertit et permisit, cum eos quasi penitus peccatis nostris debitum acceptavit: omnis enim penitentiae et satisfactionis acceptatio libera esse debet, fierique pro rationem et voluntatem. Sicut ergo homo quisvis sentiens et advertens in se motus blasphemiae, vindictae, libidinis, etiam in solo appetitu sensitivo, nec eos repellens, censetur eis consentire et peccare: ita secundum Bezam, Christus hos motus desperationis in se advertens, et permittere, imo acceptans, excusari debet is consensisse. Si enim fit in quovis alio homine, qui desperationi credit et succumbit. Denique non potuit Christus concipere Deum ita sibi infensum, quae irae Dei succumbere, ideoque non potuit ita

animo percelli et in barathrum hoc desperationis currere: sciebat enim Christus se Patrem summe amare, seque vicissim Patri esse charissimum; sciebat se ex summa erga Patrem charitate, reverentia et obedientia, nostra peccata in se luenda suscepisse; sciebat se a Patre deseri non posse; sciebat in omni hac passione Patrem sibi affore, ut constanter mortem omniumque tormenta adiret et superaret; sciebat passionem suam, redemptionem nostram omninoque ac voto sibi successura, omniumque se victorem fore ac dominum: quomodo ergo animo caderet, percelleretur, obrueretur, desperaret? praesertim, cum sciret Deum proprie non irasci nisi culpa, ipse vero nosset se ab omni culpa immunem, utpote qui hominum non culpas, sed penas tantum culpis eorum debitas in se suscepisset. Sciebat ergo Deum metaphoricè tantum et metonymicè sibi irasci, quia nimirum irae suae, quae hominum peccatis irasciebatur, effectum, scilicet poenam mortis et crucis, sibi infligebat, quam libens fortis et fidenti animo ipse excepit. Vere ergo et proprie Deum sibi iratum esse Christus concipere et cogitare non potuit, multo minus se irae Dei succumbere in animo inducere potuit.

Adde, ex sententia Calvini omnes fideles esse predestinatos, atque ex fide speciat quam habent, certos esse de sua salute, de sua predestinatione et aeterno Dei in ipsos favore, ac scire se nullis peccatis posse a salute exidere: unde nec metunt damnari qui Calvinum sequuntur: ergo multo minus Christus, qui est exemplar et parens fidelium et praedestinatorum, iram et damnationem Dei metere potuit. Vide ergo hinc impudenciam Calvini, qui in notitia et certitudine salutis et favoris divini, se suosque longe Christo praefert.

Paulum vero nihil tale significare patet ex verbo ἀνάστασις, quod in Scriptura non talem metum et horrorem (1), qualem vult Calvinus, sed reverentiam vel timorem reverentiam, quo parentes vel Superiores aut Sanctos timeamus et reveremur, significat. Itaque hic ἀνάστασις accipitur S. Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Ambrosius, Oecumenius, Anselmus omnes orthodoxi.

Dices: Graece est praepositio ἀνά, quae significat a, ex, de; haec autem recte convenit cum metu non autem reverentia: recte enim dicitur: Exauditus est Christus ex metu; non autem recte dicitur: Exauditus est Christus ex sua reverentia. Respondet, ἀνά saepe sumi pro ἀπό, id est propter, vel propter vel pro, quam a, ex, de, ut *Act. xii. 14*, ἀπό τῆς γαλακτίας, id est, pro gaudio, non peritit jamnae; *Luc. xxi. 42*: Invenit eos dormientes ἀπό τῆς νύκτος, id est pro tristitia, vel propter tristitiam.

Deus tantum metaphoricè Christus fuit iratus?

(1) Rosenmüllerus vertit, et ex eius similitudine, seu auctoritate ereptus est.

tiam. Similia sunt Luc. xxiv, 41; Matth. xiii, 44 et alibi.

Adde, multo incommodius Calvinum hanc ipsam vocem explicare, hoc modo, exauditus est Christus ex metu, id est, inquit, exauditus est Christus, ut liberaret a metu; non enim subaudi potest vox orans, q. d. Exauditus est orans ex metu: hoc enim paulo ante expressit Paulus dicens: «Preces supplicationesque offerens.» Hæc de prima Calvini expositione dicta sint.

Secundum Photium apud Œcumenium, ὑπακούων verit̄ ἐπιθετικῶς, id est, eximiam charitatem, q. d. Paulus: Exauditus est Christus pro tanta erga nos charitate, vel, ut Erasmus vertit, pietate.

Tertio et optime, omnes alii cum nostro Interprete ὑπακούων verunt, reverentiam: inde enim passim ὑπακούω; vocantur viri pii, religiosi, timorati et reverentes Deum; Noster, Sapientia cap. xvii, vers. 8, et alibi subinde ὑπακούων verit̄, timorem, scilicet divinum, seu ex Dei majestate et reverentia inensum.

Unde nota: Reverentia hæc sive timor hic reverentia, vel admirationis, ut vocat eum S. Gregorius, lib. xvii Moral., cap. xiv et xv, et S. Dionysius, xiii Coelst. Hierarch., est habitus vel actus iudicii et voluntatis, quo creatura rationalis in conspectu divine excellentiæ et eminentiæ ita se gerit, et tanti eam estimat, ut quasi non audeat ad illam accedere, et omnino cavet vel in minimo usurpare ejus excellentiam; imo plane pudenda, timens et reverens fugit ab ea, ideoque formidat et fugit investigare ejus magnalia, consilia et arcana: ex quo sequitur timor castus, ut pro nulla re velit tantam majestatem offendere: unde reverentia hebraice vocatur יראת יי, id est timor, et chaldaice אֲרַמְיָא, id est terror, et arabice هَيْبَة, id est formido.

Hinc sequitur secundo, hanc reverentiam distinguam ab actu humilitatis, quo quis vult se Deo subdere; et ab actu obedientiæ, quo quis vult illi parere, ut supremo Domino; et ab actu religionis, quo quis vult eum colere, ut supremum rerum omnium principium, illiusque honorem suo in omnibus præferre: actus enim reverentiæ est summe revereri et timere summam Dei majestatem, uti paulo ante dixi.

Nota tertio: Reverentia hic activa intelligitur, qua scilicet homo Deum reveretur, q. d. Apostolus: Exauditus est Christus a Patre, quia reveritus est Patrem, quia reverenter et obedienter erga Patrem se per omnia gessit. Potest tamen secundo, passive quoque capi hic reverentia, qua scilicet Christum tam erga se reverentem vicissim reveritus est Pater, utpote filium suum, qui cum precibus offerebat pretium, puta sanguinem divinum, qui erat res infiniti valoris, idque ex summa erga Patrem reverentia, et ex mera ac purissima in homines charitate, ut ait Anselmus, q. d. Paulus: Quod exauditus a Patre fuerit Christus, non tam gratis fuit, quam dignitatis Christi: tanta

enim erat ejus reverentia tam activa quam passiva, ut eum etiam revereretur Deus Pater, nec sustineret, aut posset et quidquam negare: dignus enim erat omnino planeque meretur a Patre exaudiri. Ita Chrysostomus, Theophylactus, Œcumenius, Anselmus. Estque hic sensus plenior et dignior; ὑπακούων enim juncta sic persone pontificis, quæ per se est veneranda, significat ejus dignitatem et venerationem. Sensus ergo est, q. d. Christus exauditus est propter sui reverentiam, id est, Pater exaudivit eum considerata persona venerabili pontificis, quam gerebat. Equum enim erat sanctum, innocenter venerandumque pontificem orantem exaudiri. At, quomodo exauditus est, cum non fuerit a morte liberatus? quia ita mortuus est, ut statim fuerit a Patre resuscitatus, qui non reliquit animam ejus in inferno, nec dedit sanctum ejus videre corruptionem; utque nos a peccato et morte suscitaret.

8. ET QUIDEM CUM ESSEY FILIUS DEI, DIDICIT EX IIS QUÆ PASSUS EST OBEDIENTIAM. — Dixerat Apostolus, quod Christus a preces cum lacrymis offerens exauditus sit pro sua reverentia; hic id explicat et exaggerat, doctèque reverentiam Christi testatam et probatam fuisse ejusdem obedientiam: exauditum vero esse Christum, cum a consummatus factus est nobis causa salutis æternæ, q. d. «Et quidem cum,» grece αὐτῶς, id est quamvis, Christus esset Filius Dei, pati tantum voluit, itaque discere, id est experiri, obedientiam tam arduam et difficilem, ut scilicet dimitteret se, et obediret usque ad mortem crucis.

Nota: «Christus ex iis quæ passus est, didicit obedientiam,» non quasi in passione demum virtutem obedientiæ didicerit, aut acquisierit, quam ante ignorabat; illam enim optime cognoscebat et callebat, tum per scientiam infusam in primo conceptionis suæ instanti, tum per experientiam triginta quatuor annorum et totius vite suæ; sed quia obedientiam hanc novo et exactiore modo expertus est in passione, magis quam in tota reliqua vita sua: quid scilicet sit obedire, quam difficile et arduum sit in omnibus se submittere, quanta sit virtus et labor, inquit S. Anselmus et Photius, obedientia, quæ quisvis dura acerba, ignominiosa, horrenda prompto animo excipit, tolerat et exequitur, idque unus Dei cui obedit, causa et reverentia. En, quod dixi, Christi reverentiam demonstrat ex Christi obedientia.

Hinc nota secundo: Christus patiendo «didicit obedientiam,» ut ostenderet obedientiam, patientiam et cæteras virtutes longe melius, plenius et efficacius ab hominibus disci patiendo et exercendo, quam speculando et contemplando, nimirum τὰ παθητὰ μαθήσασθαι, passiones sunt optime doctrine et discipline. Et, ut ait S. Bernardus, epist. 88: «Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut lectio ad scientiam. Si virtutem appetis humilitatis, viam non refugas humiliatōis. Nam si non pateris humili-

Reverentia timoris natura et conditio.

Timor castus.

Reverentia quomodo distinguitur ab humilitate, obedientia, religio?

Virtus melius discitur ex eo quod patitur quam speculando.

Nari, non poteris ad humilitatem provehi.» Obedientiam hic præ cæteris Apostolus Hebræis indicat, ut eamdem imitentur, discantque Deo et Christo obedire constanter, etiamsi ea de causa pollutionem, exilium adeoque mortem ipsam subire et pati debeant. Unde subdit, quod Christus ita «consummatus factus sibi obtemperantibus causa salutis æternæ.»

Nota tertio: Christus non tantum per experientiam «didicit obedientiam,» id est, laborem arduum et difficultatem obedientiæ, sed etiam didicit obedientiam, id est, quanta sit obedientiæ magnitudo, excellentia, meritum et præmium; utpote cujus merito paulo post se evecum vidit ad summum gloriæ gradum, ut consummatus fieret nobis obedientia dux et præco, adeoque causa salutis æternæ. Hoc enim subiecit Apostolus. Ita Chrysostomus et Theophylactus.

Egregie Climacus obedientiam ita definit: «Obedientia est spontanea mors, sepulcrum voluntatis, viva curiositate carens, securum periculum, immediata ad Deum excusatio, tuta navigatio, confectum dormiendo iter, discretiois depositio, quæ sarcinas in alium transfert, proprii desiderii omnimoda renuntiatio.»

9. ET CONSUMMATUS. — Grece τελειωθῆς, id est immolatus, vel consecratus, vel, ut Syrus, perfectus est Christus hac sua passione et obedientia, adeoque corporis beatitudine et gloria immortalis donatus est. Christus enim in cruce consummatus fuit in patientia, in charitate, omnique virtute, itaque consummatus fuit in gratia, et mox in gloria. Hinc S. Anselmus: «Consummatus, inquit, est Christus cum, consummatis omnibus obedientiæ, patientiæ et sanctitatis actionibus, clamavit in cruce, Consummatus est,» q. d. Apostolus: Consummatio hominis Christiani fit per afflictiones; quomodo ergo vos, o Hebræi, ægro estis animo in persecutionibus, quæ vos consummatos reddunt? ait Chrysostomus et Theophylactus.

10. APPELLATUS A DEO PONTIFEX SECUNDUM ORDINEM MELCHISEDECH. — q. d. Christus nobis est causa salutis, quia a Deo constitutus et appellatus est pontifex noster, cum scilicet dixit ad eum Deus Psal. cix: «Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech (1).»

11. DE QUO NOBIS GRANDIS SERMO ET ININTERPRETABILIS AD DICENDUM, QUONIAM IMBECILLES FACTI ESTIS AD AUDIENDUM. — Pro grandi grece est μέγας, id est multus sermo; et ininterpretabilis (ita legendum cum Romanis et Græcis, non autem interpretabilis), id est explicatu difficillimus: hoc enim est Græcum ἀνεπίσταντος, Quare perperam commentarius S. Thomæ ascriptus legit interpre-

(1) Redierat Paulus ad præcipuum hujus Epistolæ argumentum, videlicet summum sacerdotium Christi. Sed rursus hic abruptus ab eo excurrit, quæ digressio continet inculpationem, aburbationem ac solatium ad finem usque capitis sequentis. Tum deum, cap. vi et viii, rem suam plene tractat et absolvit.

Christus in cruce perfectus in patientia, gratia et gloria.

Quoniam Christiani didicerit obedientiam?

tabilis, illudque bifariam exponit: Primo, ut in indicet negationem, et interpretabilis sit idem quod qui non potest interpretari, Secundo, ut ininterpretabilis affirmative idem sit, quod indigens interpretatione. Verum hæc repugnant ipsi etymologie: juxta eam enim interpretabilis dicitur id, quod facile est interpretatu. Secus est de hac voce investigabile; illa enim summi potest pro non investigabile. Sensus ergo Apostoli est, q. d. De Melchisedech multa et magna dicenda forent, sed vobis, o Hebræi, explicatu difficilia, quia ad hæc rudes et imbecilles estis: itaque enim capitis Aaronum vestrum, quam Melchisedech. Hæc mysteria Melchisedech ex parte explicat Apostolus cap. vii, ut Hebræorum mentem ad res Christianas et divinas sublevet et doceat, quæ tum capere poterant: ex parte æa quæ difficiliora sunt tacet, ne vel eos, vel alios legentes in intellectu tam difficilibus a fide averat vel obruat, inquit Chrysostomus. Tale est, quomodo panis et vinum oblata a Melchisedech, Gen. xiv, fuerint typus sacrificii Eucharistia. Unde veteres Græci, teste S. Hieronymo ad Euzarium, epist. 126, dicere solent, Paulum cap. vii, ubi agit de Melchisedech, quoddam ejus sacramentum et arcanum omisisse; illudque hic vocare sermonem ininterpretabilem, maxime infidelibus: licet enim hanc epistolam Paulus primario scribat fidelibus, secundario tamen eandem scribit infidelibus, puta Judaizantibus, quos a judaismo ad christianismum convertere satagit. Adde, et fidelibus non nisi bene instructis traditum fuisse doctrinam de mysteriis Eucharistia. Est enim hoc Sacramentum maxime sublime, arcanum et divinum: unde Patres illud vocant arcanum Sacramentum, mysterium, mysteria quæ fideles norunt, etc.

QUONIAM IMBECILLES FACTI ESTIS AD AUDIENDUM. — Pro imbecilles grece est βέλῆς, id est segetes, ignavi, negligentes facti estis ad audiendum et cognoscendum res Christianas et divinas: quales multi hodie sunt inter Christianos, qui suis lucris et negotiis ita intenti sunt et absorpti, ut vix Sacrum et concionem audire, vix de Deo, dege anime suæ salute cogitare possint, ut velint. Hujus negligentia et ignavia causam fuisse persecutiones censet Œcumenius. Tentationes, inquit, et afflictiones reddiderunt vos segetes, neque potestis perfectos audire sermones: tentatio enim, cum illi ceditur vel auscultatur, emollit animum, segetemque, tepidum et imbecillum facit ad bonum. Tales hodie multi sunt in Anglia, qui ne bonis suis spoliatur, omne Christiani hominis officium et disciplinam negligunt: nec respiciunt domestica Marlyrum aliorumque plurimorum in fide et pietate constantissimorum et ferventissimorum exempla.

(2) ETIAMS CUM DEBERETIS MAGISTRUM ESSE PROPTER TEMPUS, — id est pro longitudine temporis, quo tam in lege Mosi, quam in christianismo estis eruditii

Quare Paulus omisit dicere, scripturam Melchisedech esse typum Ven. Eucharistia?

RUBSCUM INDIGETIS ET DOCEAMINI, QUAE SINT ELEMENTA EXORDII SERMONUM DEI, — id est quae sint rudimenta doctrinae Christianae et divinae, quae catechumeni docentur et discunt.

ET FACTI ESTIS QUIBUS LACTE OPUS SIT, — id est, qui indigetis instructione infirmum, simplicem et puerilem doctrinam de Christi humanitate, de baptismo, de resurrectione, de iudicio, ut se explicat Apostolus cap. seq., vers. 4 et 2.

NON SOLIDUS CIBO, — id est non altiori et perfectione crucifione de Christi divinitate, de Melchisedech, de perfectione christiana. Nota: Hae dicit Apostolus, excitando et estimulando, ut scilicet Hebraeorum animos acuat et subleuet ad audienda et capienda mysteria Melchisedech, allaque quae cap. vii et seqq. eis proponere statuit. Sic praecipit discipulos suos alias bene doctos, cum tereperunt et thema non satis accuratum exhibent, increpat et estimulat, dicens, hoc thema non esse rhetoris, sed grammatici aut syntaxiste,

eosque ad syntaxim remitti debere. Hic sensus patet initio capituli sequentis.

13. ONIS ENIM QUI LACTIS EST PARTICIPES, — id est, qui puerili institutione et doctrina est erudiendus et fovendus. De hoc lacte dixi I Cor. xiii, 2.

EXPERTS (Graeco ἀμαρ, id est ineptus, rudis, imperitus) EST SERMO JUSTITIAE, — id est, sermonis qui fit de perfecta iustitia et sanctitate: hic enim solis perfectis convenit. Ita Theophylactus et Anselmus.

Alii sic explicant, « experts est sermonis iustitiae, » id est, non est capax justificationis, quae a Christi deitate expectanda est. Sed priorem sensum esse genuinum patet ex eo quod subdit Apostolus:

14. PARVULUS (Graeco βρεφός, id est infans, scilicet in Christo et christianismo) ENIM EST: PERFECTORUM AUTEM EST SOLIDUS CIBUS, — id est solida et perfecta doctrina et institutio, uti iam dixi.

CAPUT SEXTUM

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet, se nolle rursus Hebraeis tradere rudimenta fidei et poenitentiae, eo quod eos, qui tot Dei dona receperunt, quanta ipsi in christianismo, impossibile sit renovari ad poenitentiam: itaque Hebraeos avertit a lapsu et apostasia.

Unde secundo, vers. 9, ad constantiam, spem, patientiam, longanimitatem eos animat.

Hinc tertio, vers. 13, proponit eis exemplum Abrahae, qui patienter expectans ea, quae sibi promiserat et iuraverat Deus, tandem ea adeptus est.

1. Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursus jacientes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis, et fidei ad Deum, 2. baptismatum doctrinae, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, et iudicii aeterni. 3. Et hoc faciemus, si quidem permiserit Deus. 4. Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum caeleste, et participes facti sunt Spiritus Sancti, 5. gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque saeculi venturi, 6. et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam, rursum crucifigentes sibi metipsum Filium Dei, et ostentui habentes. 7. Terra enim saepe venientem super se bibens imbre, et generans herbam opportunam illis, a quibus colitur, accipit benedictionem a Deo. 8. Proferens autem spinas ac tribulos, reproba est, et maledicto proxima: cuius consummatio in combustionem. 9. Confidimus autem de vobis, dilectissimi, meliora, et viciora saluti: tametsi ita loquimur. 10. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, et dilectionis quam ostendistis in nomine ipsius, qui ministrastis sanctis, et ministratis. 11. Cupientes autem unumquemque vestrum eandem ostentare sollicitudinem ad expletionem spei usque in finem: 12. ut non segnes efficiamini, verum imitatores eorum, qui fide et patientia hereditabunt promissiones. 13. Abrahae namque promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem iuraret, iuravit per semetipsum, 14. dicens: Nisi benedicens benedicam te, et multiplicans multiplicabo te. 15. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. 16. Homines enim per majorem sui iurant: et omnis contro-

versae eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. 17. In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis hereditatem immobiliter consilii sui, interposuit iurandum: 18. ut per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum solatum habeamus, qui confugimus ad tenendam propositam spem, 19. quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam, et incedentem usque ad interiora velaminis, 20. ubi praecursor pro nobis introivit Jesus, secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in aeternum.

1. QUAPROPTER INTERMITTENTES INCHOATIONIS CHRISTI SERMONEM, AD PERFECTORA FERAMUR. — Querens, unde Apostolus inferat quapropter, cum potius contrarium inferre debuisset: dixit enim eos esse imbecilles, et lacte potius indigere quam solido cibo.

Respondendo, quapropter respicit vers. 11 et 12 cap. praeced. ubi dixit: « De quo (Melchisedech) grandis nobis est sermo, » et: « Debetis esse magistri, » q. d. Quamvis haecenus, o Hebraei, imbecilles et segnes fueritis in doctrina Christi et christianismo, tamen quia audistis iam pridem rudimenta fidei, ut pudor sit, in his adhuc tam me quam vos haerere: hinc decet vos industriam vestram excitare et intelligentiam acueri, ut quasi perfecti solido cibo vesci incipialis: « quapropter intermittentes, » postea si opus sit resumpturi, « inchoationis Christi sermonem, » id est, rudimenta christianismi, puta ea quae in catechismo docentur pueri alique rudis, « ad perfectiora feramur, » ut scilicet perfecta dogmata proponamus, nominatim de Melchisedech eiusque sacerdotio, tanquam antitypo sacerdotii Christi: de hoc enim dixit cap. praecedent: « Grandis nobis est sermo et ininterpretabilis: » non quod vellet eum praeterire, sed ut ad eum audiendum et capiendum exstimularet Hebraeos segnes et torpentes, hinc eos ita pupugit arguitque ignorantiae et ignaviae: unde mox cap. vii, eundem sermonem resumit et exprobit. Ita ex Chrysostomo Theophylactus et Anselmus.

NON RURSUS JACIENTES FUNDAMENTUM POENITENTIAE AB OPERIBUS MORTUIS, ET FIDEI AD DEUM, 2. BAPTISMATUM DOCTRINAE, IMPOSITIONIS QUOQUE MANULUM, AC RESURRECTIONIS MORTUORUM, ET IUDICII AETERNI, — q. d. Non est, quod iam rursus vos doceam « fundamentum poenitentiae, » ut scilicet de primo innovanda per poenitentiam vita iam vos instruat et moveam; non quoque est, quod jaceam « fundamentum fidei: » hoc enim iam pridem feci: aut « baptismi, » ut ejus doctrinam vobis tradam; aut « impositionis manuum, » id est, sacramenti Confirmationis; aut « resurrectionis et iudicii: » horum enim veritatem et doctrinam iam salis audistis in prima vestra catechesi, cum Christiani facti estis. Ita Theophylactus et Anselmus. Nota hic quoque catechismi et doctrinae Christianae capita, catechumenis et recens conversis ante omnia proponenda, quae Hebraeis ab initio christianismi proposita fuisse docet hic Apostolus.

Primum est, « poenitentiae, » et conversionis « ab operibus mortuis, » id est a peccatis, quibus anima gratia Dei privatur, Deoque moritur: nec enim vitam bonam et Christianam quae inire potest, nisi per poenitentiam a morte peccati resurgat.

Secundum caput est, « fidei ad Deum, » vel in Deum; utrumque enim significat Graecum τὸ θεῶν, puta symbolum Apostolorum, fidesque de Deo trino et uno, de quo incarnationis, passionis, mortis et redemptione Iesu Christi.

Tertium caput est, « baptismatum; » dicit baptismatum, non baptismi, quia catechumeni docebantur triplicem esse baptismum, scilicet fluminis, flaminis et sanguinis. Vel potius baptismata vocat non ex sua, sed Hebraeorum mente et phrasi, qui lustrationibus et baptismatum legis creberrimis assueti ad se crebro expandum, putabant iam recens conversi et rudis adhuc, in christianismo quoque saepe debere hominem baptizari, ut cum saepe peccat, saepe quoque remissionem peccatorum accipiat, in quoque hoc Sacramentum non baptismum, sed baptismata nuncupabant, inquit Oecumenius et Theophylactus, q. d. Non iam tradam vobis doctrinam de baptismato, ac praesertim, quod apud Christianos non multa, uti apud Iudeos, sint baptismata, sed unum tantum (1).

Quartum caput est, « impositionis manuum, » id est sacramenti Confirmationis, quod initio Ecclesiae omnes baptizati, ut in persecutionibus tunc fuerunt firmi essent in fide, mox a baptismato susceperant, ut colligitur Act. viii, vers. 14, 15, 17, ita S. Augustinus lib. I De Fide et oper., cap. xi, et Ambrosius.

Quintum est, mysterium « resurrectionis et iudicii aeterni: » spes enim resurrectionis omnes excitat ad constantiam Christianam sanctamque vitam; iudicii vero metus deterret omnes ab apostasia, alique peccatis: dicitur « iudicium aeternum » metonymice, quia in iudicio feretur sententia de tota aeternitate vel beata vel misera

(1) De baptismis in plurali numero loquitur Apostolus, quia Iudeis multae erant rituales lustrationes, lege mandatae, non modo ad sordium purgationem, sed ad resuscitandum etiam abstersionem; et sequiori etate hoc rituum qui ad regenerationem praeparatam pertinet. Accessit denique baptismus cum Joannis Baptiste, tum Christianus. Nosse autem Hebraeos discrimen debebant inter hunc et illos; nam hoc doctrina erat fundamentum religionis Christianae. Ita Allouch.

Aperto-
sus ex-
tas He-
braeos ad
negotio-
nem
aliorum
in pte-
rio-
rum.

Hebraeos
existit
ad per-
fectionem
con-
gationem
Evange-
licam
Hebraeos
doctrinae

Quarta
catechis-
mi capita
et technis
munit
proposi-
tionibus.

cusque sententia, inquam, fixa et irrevocabilis in æternum. Quam sapit qui hoc iudicium æternum et annos æternos semper in mente habet!

3. ET HOC FACIENS, SI QUIDEM PERMISERIT DEUS. «Hoc,» scilicet ut, omissis fidei rudimentis et fundamentis, «ad perfectiora,» id est perfecta christianismi dogmata, «feramur,» inquit Theophylactus, «ansemus et alii. Aliter alii, sic enim explicat, q. d. Paulus: De rudimentis fidei iam dictis, que jam transibo, postea rursum agam Deo dante, cum opportunitas erit; nam de baptismo et penitentia agit inferius cap. x, de fide esp. xi, de iudicio cap. x et xii, de resurrectione mortuorum cap. xi et xii.

Sed si hoc Apostolus voluisset, dixisset potius per exceptivam particulam sic: «Quamquam hoc quoque faciemus.» Itaque prior expositio planior est, magisque coherent præcedentibus. Tamen hoc respicit «intermittentes, et non rursum facientes.»

4-6. IMPOSSIBLE EST ENIM EOS, QUI SEMEL SUNT ILLUMINATI, GUSTAVERTUNT ETIAM DONUM COELESTE, ET, RURSUS RENOVARI AD POENITENTIAM. — Vox enim dat causam cur dixerit vers. 1, non esse rursum faciendum fundamentum penitentie, quia scilicet hæc impossibilis est illis, qui «illuminati,» id est baptizati sunt, ut verit. Syrus. Nota: S. Dionysius cap. iii. *Eccles. Hierarch.*, p. 4, alique Patres, baptismum vocant *πρωτογενεια*, id est illuminationem, quia in baptismo homo fide Christi illustratur, «accipitque primi et increati luminis consortium, omniumque divinarum illustrationum principium,» ait S. Dionysius, cuius rei symbolum in baptismo faces accendi solent (1).

Bayle illi-
nauatur.

4. GUSTAVERTUNT ETIAM DONUM COELESTE. — Græce *εὐκοσμία*, quod verti potest, *supercæleste donum*, hoc est remissio peccatorum, inquit Chrysostomus, gratia, virtutes et charismata Spiritus Sancti, ac præsertim lætitia, pax et serenitas puræ et sanctæ conscientie, atque dulcedo et suavitas vite novæ et Christianæ, quam experitur tam recens baptizati, quam qui seriam peccatorum confessionem fecerunt, vitamque in melius commutarunt. Hunc enim dulcem saporem significat verbum *gustaverunt*.

(1) Commata 4-6 inter se connexa sunt, et bene coherent cum præcedentibus. Dicit nempe Apostolus, rem illi non esse cum Apostatis, quales tum essent apud Hebræos, nec se istorum in gratiam prima elementa religionis repetere velle, frustranem hoc arbitrat: si quidem fieri non posse ut eiusmodi homines corrigantur; similes enim eos esse terre improbe, in quam, quod semen conieceris, periret omne. Hic locus maxima in causa fuit, ut jam animadvertimus in *argumento* hujus Epistolæ, cur diu Romana Ecclesia cunctata sit hunc librum in canonem recipere, ut liquet ex Tertulliano *De Pudicitia*. Nam in illa controversia an lapsi in persecutionibus in gremium Ecclesiæ recipi possent, illi qui severiores erant in lapsos, Novatiani scilicet, hunc locum urgebant. Quia autem Romana Ecclesia in disciplina erga lapsos mitior erat, hanc epistolam Paulinam esse vix admittit. Sed *ἀδύνατον, impossibile*, h. l. non est metaphysice impossibile, sed potius res admodum difficilis.

5. GUSTAVERTUNT NIHILOMINUS BONUM DEI VERBUM. — Verit. N. Id est, gustaverunt quam suavis et consolatoria sit doctrina Evangelica, quæ tanta lætæque jucunda bona promittit nobis, tam hic, quam in celo cæpendenda. Nota: «Bonum» Hebræis sæpe idem est, quod lætum, jucundum, felix, delectabile. Inde «verbum bonum» vocat promissionem Dei Judeis jucundissimam, de liberatione a captivitate Babylonica. Sic *Psalm* xlv: «Eructavit, inquit, cor meum verbum bonum,» id est, epithalamium jucundissimum de nuptiis Christi et Ecclesiæ. Sic et Poeta canit:

Nunc dicenda bono sunt bona verba die.

VIRTUTESQUE SÆCULI VENTURI. — «Virtutes» hic non opponuntur vitis: græce enim est *δυναμεις*, et syriace *כחות* *chaita*, id est robur, potentiam, energiam, q. d. Qui gustarunt per fidei cognitionem, amorem, spem, gaudium et desiderium, «virtutes,» id est potentias sæculi futuri, quid scilicet possit et valeat futurum sæculum, quam potens in eo futura sit redemptio et liberatio ab omni malo et miseria, quanta felicitas et beatitudo, quam tantum Deus ostendit in Beatis, scilicet in tam mira et augusta illorum gloria, immortalitate, vita æterna, visione et fruitione Dei, omniumque gaudiorum et honorum, tam corporis quam animi copia et affluentia. Illum pregratum futuræ vite habebat S. Augustinus ejusque mater S. Monica, ut ipse affectuose narrat lib. IX *Confess.*, cap. x. Sanctus enim Franciscus cum dicit: «Tanta est gloria quam exspecto, ut omnis me poena delectet.»

Latus accipit hæc «virtutes,» sive potentias, «œcumenius,» scilicet ut tam potentes damnatorum penas et tormenta in inferno, quam potentia, augusta et divina præmia Beatorum in celo complectantur.

6. ET PROLAPSI SUNT. — Post tanta dona, lumina, suavitates et dulcedines, in apostasiam, alia peccata prolapsi sunt.

RURSUS RENOVARI AD POENITENTIAM. — Græce *ἀνακαταστήσειν*, id est renovare, ut scilicet sacerdotum per sacramentum penitentiae Prolapsos renovent. Sed corrigendus est textus Græcus modernus ex Chrysostomo, «œcumenio, Theophylacto, qui legunt *ἀνακαταστήσειν*, id est renovari, ut verit. Noster.

Nota, «ad poenitentiam,» id est, per poenitentiam. Ita Chrysostomus, Theophylactus, «œcumenius. Græcum enim *εἰς*, vel *εἰς* respondet Hebræo *עַד*, quod significat, in, ad, per, propter: sit vulgo dicimus, ad primum (id est per primum) delictum occubuit Petrus: ad contactum (id est, per contactum) Christi sanata est hæmorrhœisa: ad (id est, per) ignis presentiam inflammatur stupa.

Quæres, quis hujus loci sit sensus, et quomodo sit impossibile lapsos renovari ad poenitentiam? Ex hoc loco male intellecto orta est hæresis Novati et Novatianorum tempore S. Cypriani, qui

Polem. fidei-
et hinc
tudo
sæculi
futuri.

Polem. damna-
rum.

Verit. N.

docebant lapsis non esse dandam poenitentiam, nec veniam: indeque Catharos, id est puros et mundos, se nuncuparunt.

Hinc quoque deliravit Tertullianus, cum lib. I *De Pudicitia* docuit, lapsos semel tantum ad poenitentiam esse recipiendos. Sed hæc hæresis jam pridem explosa et damnata est, et manifeste repugnat ipsi S. Paulo, qui I *Cor.* v, et II *Cor.* vii, et alibi multis suadet tam fornicario illi Corinthio, quam aliis quibusvis lapsis poenitentiam.

Rursum Petrus Lombardus et Hugo Victor, *Quæst.* LXI in epistolam hanc, putant Apostolum loqui de poenitentia peragenda post hanc vitam: hæc enim est impossibilis. Sed nihil tale suggerit vel innuit hic Apostolus.

Dico ergo, due sunt maxime probabiles hujus loci expositiones. Prior est omnium pene veterum, Chrysostomi, Theodreti, Theophylacti, «œcumenii, Haymonis, Sedulii, Primasii, Ambrosii, lib. II *De Penit.* cap. ii; Hieronymi, lib. II *Contra Jovin.*; Augustini, in inchoatione epistolæ ad *Rom.*, et aliorum: hi censent Apostolum loqui de poenitentia baptismi, seu que præit baptismum, tantumque dammare hoc loco iterationem baptismi: unde veteres passim ex hoc loco docent et probant Baptismum æque ac Confirmationem non posse iterari. Hebræi enim in judaismo sæpe se baptizabant, indeque facti Christiani putabant pari modo se posse iterari, tertio et quarto baptizari, et baptismum iterato identidem peccata, in que sæpius incidabant, expiare. Probatur hæc explicatio primo, quia Apostolus hic respicit ad poenitentiam, de qua egit vers. 4; ibi autem poenitentiam jungit baptismum, eamque intelligit que præit baptismum.

Secundo, id indicat vox «renovari,» que fere baptismum datur: unde Apostolus, *Tit.* iii, 3, baptismum vocat «lavaçum regenerationis et renovationis.»

Tertio, id ipsum innuit vox «impossibile:» proprie enim sola baptismi, non autem poenitentia, iteratio est simpliciter impossibilis.

Quarto, quia subdit Apostolus, «rursum erudicentes sibi metipsos Filium Dei,» q. d. Baptismus est figura et representatio crucis; et qui baptizatur, symbolice cum Christo crucifigitur, ut dicit *Rom.* vi, 3. Unde sicut Christus secundo crucifigi non potest, sic nec baptismus repeti; et qui secundo baptizatur, hi Christum in seipsis iterum symbolice crucifigit: hoc enim ipso significant et protestantur crucem a Christo semel susceptam, et priore unicoque baptismum a se suscepto adumbratam, non sufficere; sed opus esse ut iterum Christus crucifigatur, itaque secundum baptismum ad eluenda peccata insituit. Ita Chrysostomus et Damascenus, lib. IV *De Fide*, cap. x.

Secunda maxime plana ac genuina hujus loci explicatio est Anselmi, Lyræ, Hugonis, Dionysii, Ricmanni, Vasquezii, Ribera et aliorum recentiorum: hi censent Apostolum proprie loqui de

poenitentia, eamque dicere impossibilem, id est valde difficilem, esse peccatoribus, non quibusvis, sed gravissimis et ingratisissimis, puta apostatis, qui post tot insignia lumina et dona cœlestia a Deo accepta, post tot gratias et consolaciones Spiritus Sancti, postquam gustarunt delicias Dei et futura vite, a Deo, a fide et agnita veritate, atque a Christo ad judaismum et infidelitatem desiscent, uti aliqui Hebræi faciebant.

Probatur hæc explicatio primo, quia vers. sequenti vocat terram maledictam, qua rone cœlestis gratie et fidei recepto, profert tamen spinas apostasie, ideoque reproba est et igni comburenda: apostate enim fere omnes poenitentiam expiari non possunt, sed obdurati et reprobi sunt, ideoque in gehennam relegantur: ubi clare vides non baptismi, sed poenitentia vim et fructum esse adimi.

Secundo, quia verba ipsa plane id significant: poenitentia enim non baptismum, sed poenitentiam significat eorum, qui in peccatum prolapsi sunt, post illuminationem, id est, post baptismum.

Tertio, quia cap. x, vers. 26, omnino similiter de his apostatis ait: «Voluntarie peccantibus jam non relinquatur pro peccato hostia,» q. d. Eorum qui voluntarie peccant et a Christo desiscent, peccatum et apostasia nullo, non dico baptismum, sed sacrificio pro peccato, nulla poenitentia expiari potest, id est, diffidillime et vix expiari potest: quia tales vix unquam serio poenitent, ut videmus nostros apostatas sacerdotes et monachos, cum a religione nostra et ab Ordine suo ad hæreticos transfugunt, diffidillime et rarissimè converti et poenitere. Sic *Matth.* cap. xii, vers. 32, dicit Christus, quod blasphemia in Spiritum Sanctum non (id est *agere, viz*) remittitur in hoc sæculo, nec in futuro. Sic I *Joan.* v, 16, dicitur: «Est peccatum ad mortem, non pro illo dico ut roget quis,» q. d. Si quis peccet, dummodo non peccet peccatum ad mortem, orat quis pro peccato, et certo speret se exaudiendum, et veniam ei impetraturum: sin autem quis peccet peccatum ad mortem, non ausim spondere, nec certo sperare, quod oras pro eo veniam ei impetreturum, non tamen omnino orationem pro eo fieri vult. Ubi peccatum ad mortem idem fere videtur esse cum eo, de quo hic agit Apostolus cum ait: «Impossibile est eos, qui semel illuminati et prolapsi sunt, renovari ad poenitentiam.» Peccatum enim ad mortem, ut docet S. Hieronymus, lib. II *Contra Jovinianum*, est quodvis gravissimum peccatum, maxime quod ex malitia et obfirmato animo fit, v. g. cum quis fidem agnam ex malitia improbat, deserit, et tanquam dæmoniacam calumniam, quod peccatum ordinari vix remittitur, estque tale ac tantum, ut ex eo ad vitam spirituale gratie vix ullus resurgat; sed in eo, ac consequenter in morte animæ maneat is qui peccat, ac proinde puniendus sit morte æterna.

Apostata
antri,
sacerdoti,
monachi
obdurati.
Pecca-
tum in
Spiritu
Sancto,
est pecca-
tum ad
mortem
vix remittitur.